



ENCUADERNACION
VERONICAS
—
MURCIA

AYUNTAMIENTO
DE MURCIA
ARCHIVO

EST^a 8

TAB^a 1

N.^o 3 (1-10)

Mod. 78/80

EPISCOPAL
EPISCOPAL
CATTHAGENSIS

Una cum Capitulo suo
Ad Subiectum Domini Nostri

CLEMENTEM

Providentia Universitatis Ecclesie

P A P A M X I.

... Universitate Catholicae Logisticae non contenta
... in aliis Universitatibus suis instituta non recessisse
... invenit se in via de apertissima dignitate & humilitate
... Concessione sua excepit, & mox, causa Ec-
clesie Universitatis studiandam petivit, sed
... praecepsitate examine eis oratione & de-
... cuncta demonstravit.

AYUNTAMIENTO
DE MURCIA

ARCHIVO

ES

DA

H

AUDITORES: V. M. Typus, F. J. Gómez
y S. Martínez, en el Cachón.

60/84

Volumen 3º

193

EPISTOLA EPISCOPI CARTHAGINENSIS

Una cum Capitulo suo

Ad Sanctissimum Dominum nostrum

CLEMENTEM

Divinâ Providentiâ Universalis Ecclesiæ

PAPAM XI.

In qua calumnia Hispanis Præsulibus imposta, quod Constitutio-
nem Unigenitus non admiserint, quia nullum ipsius præcesserit
examen, reiicitur, & Apostolica Decreta à Romanis
Pontificibus edita circa fidem, & mores, quæ ad Ec-
clesiam Universalem erudiendam pertinent, nul-
lo præcedente examine esse omnino acce-
ptanda demonstratur.



ROMÆ MDCCXVIII. Typis Jo: Francisci Chracas
propè S. Marcum in viâ Cursus.

•SS• •SS• : •SS• •SS• •SS• •SS• •SS• •SS• •SS• •SS• •SS•

Superiorum permisso.



AYUNTAMIENTO
DE MURCIA
ARCHIVO

EST. 8
TAB. I
N.º 3 (1)

R. 7359

121

EPISTOLA
EPISCOPI
CARTHAGINENSIS
Uas cum Cibis ad
Ad Sugidum Damnum Noguam
CLEMENTE
PAPA XI.

ad duas causas libellus iste quibus, non contumio
deum gloriam non habimur, deo nullum debet precessum
exaudi, iocaret, ex Abominatione Decretis et Romanis
bonitatis eius circa hanc, ex mortis, dominis etc.
clementem Universitatem studiandam perfringit, ne
ad tristissime causas eis omnes acc
honestitudinem.



ROME MDCCXIII. Tabis Ios: Francisci Crispi
prope S. Petrum in via Crutis.

anno: 1713. mense: Octobris: die: 20. anno: 1713. mense: Octobris: die: 20.

S. Paulinus. Roma.

BEATISSIME PATER.



ITERIS Innocentij tota de hac re dubitatio sublata est, ajebat D. Augustinus (1) de Pelagiana hæresi à S. Innocentio I. absque ulla Oecumenica Synodo proscripta. Quod & S. Prosper similiter firmavit: (2) Tunc istorum machine fractæ sunt, tunc in superbia socijs, ac principibus corruerunt, quando beatæ memorie Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit. Corruerunt sic attoniti, quod teste rursus Augustino: (3) Cælestius se B. Papæ Innocentij literis consentire professus est. (Erat enim Pelagianæ hæresis sectator) Hoc de illo ævo legimus.

2. Ast de nostro, quid auribus excepimus? Proh Deus! Quod edita Constitutione *Unigenitus*, qua S. V. Divino afflata Spiritu, voce Dei propositiones quasdam, unam nimirum supra centum, ex quadam libro Quesnel, Gallicè exarato, cui titulus latinè *Reflexiones morales in Novum Testamentum*, decerptas, ut omni Theologica censura usque ad hæresim respectivè dignas Apostolico gladio jugulavit, sicut prædecessores S. V. anathemate inustas majori ex parte per suas literas nobis dederant: cum ea promulgata, expectare de Jansenistis hanc eandem Cælestij confessionem possemus; tam longè ab eis hæc humilis abfuit confessio, quam suamet salus à verbis delictorum suorum. Etenim hi infensissimi veritatis, & auctoritatis Pontificiæ hostes, tanquam filij alieni mentientes, solatum miserorum in suis erroribus habere cupientes, sine intermissione indefessè cavillantes, labijs dolosis perversa loquentes, abducereque post se veritatis sectatores conantes, duo, ut non sine horrore suscipimus, execranda facinora commisere.

3. Unum ex criminibus est, quod ex Orthodoxis Præ-

A 2 fuli-

(1)
D. August. contra duas Epistol. Pelagianor. lib. 2. cap. 3.

(2)
D. Prosper de gratia, & libero arbitrio contra Cæstian. cap. 41. initio.

(3)
D. August. ubi supra cap. 4.
(Nō latet nos, pro Sanctissimo nulla opus esse locorum citatione, omnesq. superfluere, cui omnia testimonia præsentia sunt; quia tamen hæc Epistola typis excusa ad alienas manus deveniet; operæ pretium, duximus, & eas exprimere, & minutim signare: ut testimonia desiderantibus facilis appearant, & innumera alia legentibus obvia hac occasione fiant.



4

fulibus, qui in Gallia præfatam Constitutionem solem-
nissimè in comitijs suis ferè uno ore admiserant, multos
perperam agentes interturbarunt, persuaseruntque, ut
de ea dubitarent, acceptare renuerent, obedientiam
differrent, explicationem peterent, auctoritatem infal-
libilem Romani Pontificis in dubium denuo vocarent,
ad accendentem Ecclesiæ consensum defectu Concilij re-
currerent, nonnullosque, ut ad futuram Oecumenicam
Synodum appellationem interponerent, ejus reforma-
tionem expectarent, & alia id genus. Hoc semper insa-
nè conantes, ut infallibilitatem Romanorum Pontificum,
cui valde stomachantur, quamque deglutire non valent,
& in quam semper insultant, & evertere, si possint, sa-
tagunt, etiam Catholici suis cavillationibus decepti,
cæcutientes insectentur.

4. Quod, ut obtineant, maximè conantur callidè
ostendere, se obsequium (Scripturam, Concilia, & Pa-
tres deridendo) Præfulibus præstare in eo, quod enixè
adstruant, mordicusque propugnant: Episcopos in Con-
cilio generali supra Romanos Pontifices esse, hosque
illis sic congregatis subjici, ab illisque ita collectivè
sumptis posse judicari. Et ita, ut hanc infallibilitatem
evellant, pessundent, & dissipent, non verentur, nec
timent Romanorum Pontificum Primatum universalis Ec-
clesiæ, eorumque Monarchicum gubernium, ac plenam
& supremam in universalem Ecclesiam potestatem, to-
ties à Concilijs definitam, re ipsa (etsi in terminis non
audeant) audacter destruere, ita Aristocratia hæc om-
nia vaftè miscendo, &, ut dicunt, temperando, quod
nec Primatum, nec plenam, supremamque in univerla-
em Ecclesiam potestatem relinquant, sed monstru-
quoddam fingant, quod nec Monarchia, nec Primatus,
nec plena, & suprema potestas, sed pura chimæra est.
Quod totum deglutire, & cum eo Orcum ipsum, æter-
nalsque flamas non refugiunt, ut virus tantum, tam-
que virulentam rebiem in Romanum Pontificem, inque
eius infallibilem auctoritatem mordaciter evomant. Heu
nefanda crima! Vah, qui destruere Ecclesiam Dei,
fundamentum ejus conterendo, tanto livore conantur!
Sed portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

5. Inspiciant Jansenistæ retroacta tempora, revolvant
histo-

5

historiæ Ecclesiasticæ antiqua monumenta. Quid passa
fuit Ecclesia ab anno 476. usque ad 499. ? omnibus no
tum est. Tam densæ tenebræ ubique per annos 23. ter
ram operierunt , quod teste Baronio: (4) *Maiori in
telliges esse dignæ ploratu, si Christianæ Religionis hujus
temporis damna perpendas.* Videre namque est totum Chri
stianum Orbem sub hereticorum Principum Dominio consti
tutum , nullumque penitus Catholicum Regem alicui saltem
exiguæ Provinciæ dominari . Quod ipsum Spondanus , &
Cardinalis Bellarminus testantur . (5) Prævaluitne infi
delitas tanta contra Ecclesiam ? Testem experientiam
ipsam habemus . Dicat iterum Baronius : (6) *Quis hæc
considerans , animum non despontens , consternatus penitus
mærorem lachrymis decoctum silentio devoret , dum Eccle
siam vehementioribus undique undis propemodùm mersam
intelligit ? Sed manet terra , Cœloque firmior , qua portas
inferi vim omnem Sathanicam adversus eam minimè præva
lituram Dominus pollicitus est . Fremat igitur quantumvis
pelagus , sæviant venti , grandines increbescant , explo
dantque nubes densa fulgura , insuper , & deorsum evomant
ignes inferi portæ , omnesque in eam rugiant feri leones , ibi
degentes dæmones : Stabit tamen semper ovile Christi , &
navicula Petri incolumis apparebit .*

6. A Gallia equidem anno 499. orta fuit radians stel
la , quæ mundum illustrans caliginem tantam dissipare
cœpit . Audiant Jansenistæ , qui florentissimum hoc Re
gnum in tantum dedecus trahere in præsentiarum mo
liuntur , quod illius Regnicola Spondanus tradit : (7)
*Sed vide providentiam Dei . Quo enim tempore tam densæ
tenebræ operirent ubique terram , & caligo populos , adeò ,
ut nullus penitus in universo esset Orbe Princeps Catholicus ;
in Gallijs planè divinitus novæ lucis fulgidum sydus appa
ruit , quo universa Catholica Ecclesia deberet in infinita
sæcula illustrari . Hoc enim ipso anno , qui Clodovei Fran
corum Regis numeratur 15. idem Clodoveus . . . A Sancto
Remigio Episcopo Rhemensi cum majori parte suorum bapti
zatus est . Hæc Spondanus de illo sæculo . Quid de præ
senti misera tempestate dicere nos valebimus ? Quando
quidem tantum lumen per totum Orbem Christianum
splendescens hodie Jansenistas obtenebrescere maximo
pere cupere videmus , & prima illius Regni luminaria ,*

(4)

Baron. anno 476.
num. 6. tom. 6.

(5)

Spondan. anno 499
num. 4.
Bellarmin. in Chro
nolog. ad annum
495.

(6)

Baronius ibid.

(7)

Spondan. ibid.

ut hoc adipiscantur, ad suum sensum trahere moliri.
Væ miseris! Sed nec his contenti, ad nostram etiam
Hispaniam sua audacia se extendit.

7. Cum alterum facinus, quod dein commisso exce-
pimus, sit, de Hispanis Præsulibus proferre, & insanè
evulgare, Heu Heu! neque præfatam Constitutionem
admisso, nec illi consensum præbuisse, nec obedi-
tiam præstissem, immo nec, ut par erat, potuisse; cum
nullum Constitutionis præcesserit examen. Hanc impu-
dentissimè notam nobis imponendo (hei nobis miseris, si
tanto facinore implicati fuissimus!) ea temerè ducti ra-
tione, quod cum ad manus nostras pervenerit, & per San-
ctæ Fidei in his Regnis pollens Tribunal fuisset fidelibus,
ut invaluit mos, ex suggestu promulgata, siluerimus, nec
eam in examen venire curaverimus. Ac si auditum de
Hispanis aliquando fuerit, Decreta, Constitutionesve
Apostolicas à Sede Petri per Romanos Pontifices editas,
& promulgatas aliter quam silentio eos unquam accepta-
visse; vel Decreta circa fidem, & mores, quæ ad Ec-
clesiam universalem in doctrina fidei, vel morum eru-
diendam, & pascendam à Romano Pontifice tanquam
Christi Vicario procedunt, examine, consensuve ullo e-
gere potuissent: liberumve, nec uni ex Orthodoxis ea
acceptare, vel respuere usquam fuisset, vel futurum esse
posset: quum omnia circa fidem à Romanis Pontificibus
ex Cathedra definita, ut infallibilia, nullique errori ob-
noxia, nullo præcedente examine, amplecti, illisque
assensum præbcre cuncti omnino teneamus.

8. Idcirco, B.P., etsi debitam nostram Decretis A-
postolicis reverentiam, quam cum primo lacte de ma-
trum umeribus susimus, quodammodo offendii existime-
mus, si de ea aliud præter fidem, & conscientiam no-
stram (de quo S. V. certam esse omnino supponimus,) autheticum testimonium demus, & proferamus; cum
præter assensum, qui præstari continuò debet omnibus
Decretis, quæ pro Universali Ecclesia in doctrina fidei,
vel morum erudienda, ab ea procedunt, non alio con-
fensu, nec acceptatione, minusve examine ullo egere
credamus, & firmiter teneamus: tamen quia sapienti-
bus, & insipientibus debitores sumus, ut cunctis in Or-
be Christiano degentibus tam flagitosum Jansenistarum
men-

mendacium, quo tam execrandam notam Religiosissimo nostro Regno, ejusque Præfulibus imponunt, innoscat; operæ premium duximus, silentium abrumpere aliquando, Capitulumque nostrum, Viris sapientia, virtute, & eruditione florentibus pollens, in offensione tanta excitare, ut una nobiscum, more solito, ante diem ad hoc specialiter convocatum, uno sensu, Nostri, & totius Cleri hujus Diœcesis nomine explicitum, authenticumque obedientiæ nostræ Constitutioni *Unigenitus* confessim præstitæ testimonium exponamus.

9. Quod adimplentes, hodie post Missarum Solemnia, opportunè (non sine animi nostri ingenti exultatione) occurrenti Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, uno ore, animo non diviso, fideque una fatemur, notumque facimus omnibus, qui tam probram maculam, nævumque tam fœdum nobis impingere ausi fuere, laudatae Constitutioni *Unigenitus*, ex quo ad manus nostras pervenit, protinus obedientiam, ut ipsius Domini voci per Os Petri prolatæ, incunctanter omnes præsticisse, cunctasque in ea contentas propositiones, ut reprobas, tantaque censura dignas, depulisse, utque exosas, & damnatas una cum libro *Quesnel*, ex quo decerpæ fuerunt, à nobis, Orthodoxisque omnibus curæ nostræ commissis, cum eisdem qualificationibus, quibus perculsæ sunt, semper à nobis habendas, & sic tenuisse eas, & tenere, Eandemque obedientiam quibusvis Constitutionibus, & Decretis, quamquam à S. V. se sola, vel à Romanis Pontificibus sui successoribus, dummodo ex Cathedra ad Universalem Ecclesiam in fide, vel moribus erudiendam procedant, jugiter sine cunctatione esse præstituros.

10. Quam obedientiam denuo lubenter ingeminamus: In cuius perenne testimonium, sequentem publicam protestationem exhibemus. Primo tenemus, & confitemur cunctos, qui nomine Christiano gaudent, prefatam Constitutionem *Unigenitus* Dei Filius, pariterque *Decreta omnia à Sancta Sede circa Fidem*, vel mores, etiam absque ulla Oecumenica Synodo procedentia, uti infallibilia, nullique errori obnoxia confessim sub anathemate amplecti, & obediere teneri.

11. Secundò: Nemini, sub eodem anathemate, fas esse à laudata Constitutione, nec ab ullo alio Decreto ex Cathe-

dra procedenti ad Oecumenicum Concilium provocare, neque illius confirmationem expetere, expectareve; sed cunctos omnino fateri debere: Romanos Pontifices canonice indubie electos, uti Christi Vicarios, & Petri successores Primatu, & gubernio Monarchico praeditos esse: Nullique Concilio Universali subiisci, sed superiores omnibus esse: Nullumque nisi eorum auctoritate, quod legitimum, & Canonicum sit, posse congregari: Neque ab ullo eos judicari: Neque à Pontificibus circa Fidem judicata ullo modo reformari: Nec circa mores, disciplinamve Ecclesiasticam, aut Christianam, nisi eis annuentibus, mutari: Quinimmo ab universali Concilio statuta, sive ad Fidem, sive ad mores pertineant, ut vim habeant, ab illis confirmari debere.

12. Tertiò: Nec ulli, consequenter, sub eodem anathemate licere, nec unquam licuisse ad Ecclesiae supervenientem defectu Conciliij consensum pro hac infallibilitate Decretorum, Constitutionumve recurrere, illumve ad hanc obedientiam præstandam expetere, expectareve.

13. Hæc est, B. P. Episcopi Cartaginensis, pariter ac ejus Capituli plana, & aperta confessio. Ad hæc tria capita cuncta privilegia à Christo Domino in Beato Petro Sanctitati vestræ concessa, & in unum, in infallibilem nimirum auctoritatem conspirantia, redacta conspicimus. Hac trina confessione cuncta gratanter complectimur. Et ita omnia tibi fuisse concessa constanter creditimus, & tanquam Fidei regulam usquequaque tenuimus, ac tenemus, & ad agonem usque affatim tenebimus. Hæc semper fuit, est, & perpetuò erit Fides nostra. Hanc ex Oecumenicis Concilijs, in Scriptura, & Patribus fundatis didicimus. Hacque fide, suomet exemplo edoceti, laudatam S. V. Constitutionem *Unigenitus* confessim suscepimus, & denuo reverenter excipimus. Ephesina enim Synodus lecta Epistola dogmatica S. Cœlestini Papæ, in qua Nestorium absq; ulla Oecumenica Synodo damnavit; protinus in hæc verba acclamatorio sermone protrupit. (8) *Hoc justum judicium, novo Paulo Cœlestino. Cœlestino custodi Fidei. Cœlestino universa Synodus gratias agit.*

14. Concilium Chalcedonense, cui 600. PP. assiderunt, lecta Epistola dogmatica Sanctissimi Leonis Papæ ad Flavianum missa, in qua absque ulla pariter Oecumenica

(8)

Ephesina Synodus p. 2. act. 2. Extat. 1. Concilior. fol. 1471. juxta collectionem novissimam P. Joannis Harduini, excusa post Labbeanam, P. 1.

9

nica Synodo Eutychem, Dioscorum, & alios hæreticos
damnavit, in hæc similiter prorupisse legimus: (9) Re-
verendissimi Episcopi clamaverunt: expositionem alteram nul-
lus fecit, neque tentamus, neque audemus exponere... Ce-
cropius R. Episcopus Sebasteopolitanus dixit: Emiserunt, quæ
ad Eutychem pertinebant, & super ijs forma data est à
Sanctissimo Archiepiscopo Romæ Urbis, & sequimur cum
& Epistola omnes subscriptimus. Reverendissimi Episcopi
clamaverunt: Ita omnes dicimus, sufficiunt, quæ exposita
sunt, alteram expositionem non licet fieri. Et alibi: (10) Re-
verendissimi Episcopi clamaverunt: Omnes sic credimus.
Papa Leo sic credit. Anathema ei, qui partit, & ei, qui di-
vidit. Hæc fides Leonis Archiepiscopi. Leo sic credit. Et
alibi: (11) Anathema ei, qui non ita credit: Petrus per
Leonem ita loquutus est. Et alibi: (12) Omnes Reveren-
dissimi Episcopi clamaverunt, Dioscorum Deus deposuit.
Dioscorus justè damnatus est. Dioscorum Christus deposuit.
Et alibi: (13) Qui non consentit Epistola Sanctissimi Ar-
chiepiscopi Leonis hæreticus est.

15 Sexta Generalis Synodus, lecta pariter Epistola
Sancti Agathonis Papæ ad Imperatores Constantinum,
Heraclium, & Tiberium missa, in qua etiam absque ullo
Oecumenico Concilio hæresim Monothelitarum anathe-
mate inussit, hæc continuò protulit: (14) Inspiratione
Sancti Spiritus conspirantes, & ad invicem omnes consonan-
tes, atque consentientes, & Agathonis Sanctissimi Patris
nostrí, & Summi Papæ dogmaticis literis ad vestram for-
ritudinem missis consentientes. Et infra: Confessionem tibi à
Deo scriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, & dog-
matum diem à vespertinis partibus extulit. Charta, &
utramentum videbatur, & per Agathonem Petrus la-
quebatur.

16 Septima Generalis Synodus, lecta similiter Episto-
la dogmatica Sancti Adriani I. ad Tharasium Patriarcham
Constantinopolitanum scripta, in qua etiam absque ullo
Generali Concilio hæresim Iconomachorum perculit:
& similiter audita ea Tharasij confessione continuò ab eo
facta, in qua, ex illo Pauli ad Romanos 1. *Fides vestra*
annunciatur in universo Mundo, dedit, Adrianum ex
hoc privilegio non nisi verum circa imaginum veneratio-
nem potuisse docere, in hæc confessim prorupit: (15) To-

rifiis anno 1714. Et
tom. 2. fol. 282. ju-
xta collectionem Bi-
nii præ manibus fre-
quentiorem Lutetie
Parisiorum edit. an-
no 1636.

(9)
Concil. Chalcedon-
p. 2. act. 2. extat to. 2
fol. 286. juxta col-
lectionem Harduin-
am, & tom. 3. fol.
211. juxta collectio-
nem Binianam.

(10)
Idem ibid. juxta
Harduinā collectio-
nem fol. 290. Et ju-
xta Binianam, fol.
214.

(11)
Idem ibid. fol. 306.
juxta collectionem
Harduinā, & 309.
juxta Binianam.

(12)
Idem ibid. act. 4.
fol. 414. juxta collec-
tionem Harduinam,
& 309. juxta Bi-
nianam.

(13)
Idem ibid. juxta
Harduni collectionē
fol. 418. juxta alte-
ram Binii 312.

(14)
Sexta Synod. act.
18. Sermone accla-
matorio. Extat to. 3.
fol. 1419. juxta col-
lectionem Harduinā,
& juxta Binianam.
275.

(15)
Septimi Synod. act.
2. Extat tom. 4. fol.

103. in collectione
Harduini, & tom. 5.
fol. 570. in collectio-
ne Binii.

(16)
Octava Synod. act. I.
extat to. 5. fol. 744.
in collectione Har-
duini, & in collec-
tione Binii, fol.
719.

(17)
Concil. Toletan. I.
in assertione Fidei in
fine. Extat in collec-
tione Harduini tom.
I. fol. 994. Et in
collectione Binii, to.
I. fol. 741.

ta Sanctissima Synodus ita credit, ita sapit, ita dogma-
tizat.

17. Octava Synodus, de Decreto Nicolai I. & Adria-
ni II. Photium damnante, illud amplexans, illique con-
sentiens, ut nos erudiret, una cum ipsis hæc fassa fuit:

(16) *Quod auctoritas Apostolice Sedis vestrae decrevit, tota mente sequimur, & religiosa devotione veneramur, atque pro nosse, & posse nostro pia intentione, ac spirituali conflictu defendimus. Quoniam sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & observantes ejus omnia Constituta, speramus, ut in una Communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra, & vera Christianæ Religionis soliditas; promittentes etiam, sequestratos à Communione Ecclesie Catholicæ, id est, non consentientes Sedi Apostolice, eorum nomina inter Sacra non recitanda esse Mysteria.*

18 Si ergo festinatione, reverentia, & fide tanta SS. Oecumenica Concilia Decreta dogmatica Romano-
rum Pontificum absque ulla Oecumenica Synodo edita,
ita amplexata fuerunt; Quemadmodum omnes Ecclesiæ Patres, tum Græci, tum Latini à primo Sæculo fecerunt,
& reliqua omnia universalia Concilia fecere, & nos fac-
re docuerunt, & ad illud cunctos teneri, diserte statue-
runt (quorum testimonia, quibus hæc veritas definita
demonstratur, longum esset referre, plenaque manu huc inserere valeremus, nisi latiori calamo hæc nostra triplex confessio foret prosequenda.) Quomodo aliter cum Constitutione *Unigenitus* procedere, nisi omnia oblivioni tradendo, fas nemini esse poterat?

19 Et Hispanis præcipue, qui à primo Toletano Conci-
lio, sæculo IV., etiam ante laudata Generalia Concilia,
de hoc in Decretis Fidei uno verbo per sequentem defi-
nitionem, quæ nobis sola sufficeret, sumus instructi:
(17) *Si quis contra Sedem S. Petri faciat, anathema sit.*
Sicut etiam à Sapientissimo Nostro Doctore D. Isidoro Hispalensi, qui de tota hac re in trina nostra confessione contenta, in Persona Episcopi Eugenij nos, tanquam integerrimus Sacrorum omnium Canonum custos, & To-
letanorum Conciliorum fidelissimus executor erudit, & insuper edocet de offensione, quæ Cathedræ Petri, Sedi
quæ illius inferretur, si aliud ab eo, quod de auctoritate

Ko.

Romanorum Pontificum ejus successorum sentimus, forsitan tradiceremus. Ait enim (18) Majoris sententiae innodatio, nisi ex dispensationis articulo à minori nequaquam valeat enodari, sed potius ab inferiori prolata, à superiore jure mediante cassetur, Orthodoxi quidem Patres Spiritus Sancti auctoritate prævia sanxerunt. Aliter autem quolibet adstruente, sicut est vestræ prudentiæ cognitum, pravum suborietur, scilicet gloriatio securis contra eum, qui secat in ea. Quod verò de paritate agitur Apostolorum: Petrus præeminet cæteris, qui à Domino audire meruit: Tu vocaberis Cephas: Tu es Petrus, &c. & non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei, & Virginis Filio honorem Pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit. Cui etiam post Resurrectionem Filii Dei ab eodem dictum est. Pasce agnos meos, agnorum nomine Ecclesiarum Prælatos notans. Cujus dignitas potestatis, et si ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialius tamen Romano Antistiti singulari quodam privilegio, velut capiti, cæteris membris celsior permanet in eternum. Qui igitur debitamei non exhibet reverenter obedientiam, à capite sejunctus Acephalorum schismati se reddit obnoxium, quod sicut illud Sancti Athanasii de fide Sanctæ Trinitatis, Sancta Ecclesia approbat, & custodit, quasi sit fidei Catholicæ articulus. Quod nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

20. De quo pariter Jansenistæ, si tanti Concilij, Doctorisque tanti testimonio edoceri renuunt, instrui abs dubio valerent, si ad propria Concilia, Doctoresque suos similiter recurrerent. Habent enim Concilium Arlatense, tempore SS. Leonis Papæ congregatum. Quod ad ipsum Leonem de Epistola eius dogmatica, in qua Eutychem damnavit, hæc illi indixit (19) Lectis Beatitudeinīs vestræ literis, & omni instructione patefacta, omnes intra Gallias constitutos exultare mox fecimus.... Apostolatus vestri scripta ita ut Symbolum fidei quisquis redemptionis Sacraenta non negligit, tabulis cordis adscripta. Et infra: Apostolicæ veritatis luce perfusus, errores sui tenebras derelinquit, magisque sequatur, & credit, quod per os vestrum Dominus noster Jesus Christus de Sacramento Incarnationis suæ docet. Necnon habent Concilium Arausicanum II. in quo hæc PP. opportunissimè, pro præsenti materia illis tradidere: (20) Pervenit

ad

(18)

D. Isidorus Hispanensis Epistola ad Eugenium Episcopum, quæ est 8. in ordine. Extat fol. 398. ejus operum Matriti excensorū anno 1599. De ejus certitudine apud Hispanos non est dubium; etsi in editione Parisiensi Anno 1601. hæc, sicut & aliæ Epistolæ sint omnino omissæ. Licet in titulo Epistola, quis fuerit iste Eugenius non exprimatur, constat faisse Toletanum Episcopum, qui Justo successit, quique præfuit V. Concilio ibidem celebrato Anno 636. post tres annos à celebratione IV. Concilii Toletani, cui D. Isidorus præfedit. Et hæc Epistola abs dubio ea occasione à Sancto Doctore fuit scripta, quod multi tunc temporis renuebant admittere librum Apocalipsis ut Canonicū; cum tamen à Sancta Sede ut tale esset

declaratum , ut ex eodem Concilio Canone 16. constat . Ubi Isidorus , & PP. dicti Concilii statuerunt, ut Canonum habendū, quia à Romanis Pontificibus ita erat cōstitutum . Et videri etiam potest Canon. 6. in quo PP. nihil definire circa Baptismum per trinā immersiōnem factum, ausi fuere , usq; dum Apostolica Sedes de hoc consuleretur . Ex quibus manifestè apparet consonantia hujus Epistole cum Doctrina ab ipso S. Doctore in hoc IV. Cōcilio tradita . Et hoc est Conciliū, ad quod nuperis mensibus Doctor quidam Sorbonicus Hispanos per suas Epistolas remittebat, ut in eo cōspiceremus quomodo Decreta RR. PP. ex ipsis Conciliis Tolitanis examine, & acceptatione egeant, ut vim habeāt: cum oppositum ex illo manifestissimè appareat .

ad nos esse aliquos , qui de gratia , & libero arbitrio minus cautē , & non secundūm fidei Catholice regulam sentire velint : unde id nobis secundūm auctoritatem , & admonitionem Sedis Apostolicę justum , & rationabile visum est , ut pauca Capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa . . . Ad docendos eos , qui aliter quām oportet sentiunt , ab omnibus observanda proferre , & manibus nostris subscribere debemus . Quibus lectis , qui hucusque non sicut oportebat de gratia , & libero arbitrio credidit , ad ea, quæ fidei Catholice conveniunt , animum suum inclinare non differat . Et immediate exprimit omnia credenda , juxta ea , quæ à S. Sede fuerunt ipsi tradita .

21. Nec minus instructi evaderent , si ab illis duobus luminaribus cunctam Galliam illustrantibus D. Thoma , & D. Bonaventura super tota hac re lumen recipere non recusarent . Habent enim utrumque : & unum , & alterum in Beato Augustino Triumpho , seu de Ancona , ex Augustiniana familia , eorum Discipulo , Doctore celeberrimo Parisiensi , in doctrina , & sanctitate conspicuo , de quo miras laudes Jacobus Philippus , Artmanus Sche del , Tritemius , Raphael Volateranus , Sixtus Senensis , & alij quamplurimi concinunt , & præconizant , qui utriusque Magistri sicut , & Patris eius Augustini doctrina illuminatus , hæc , rigore scholastico disputando , egregiè tradit (21) Respondeo dicendum , quod una est fides totius Ecclesiae , & modernorum , & antiquorum juxta illud Apostoli ad Ephesios 4. Unus Deus , una fides , unum baptisma . Ad illum autem pertinet determinare , quæ sunt fidei , qui est caput totius Ecclesiae . Talis autem est Summus Pontifex Successor Petri , pro cuius fide singulariter rogavit Salvator Sicut ergo omnes quæstiones emergentes de lege , & de cultu Dei reservabantur Moysi determinandæ ; Sic omnia , quæ sunt fidei Christianæ , Papæ est propriè determinare . Unde dicit Cyrillus in libro Thesauri : Ut membra maneamus in capite , in nostro Apostolico Trono Romanorum Pontifice maneamus : à quo nostrum est querere , quid credere debeamus . Et alibi (22) Papam ergo possit aliquid addere supra illa , quæ sunt fidei , dupliciter potest intelligi : vel quantum ad dubiorum interpretationem , & terminationem , vel quantum ad occultorum , & implicitorum explicationem , utroque modo potest Papa aliquid addere

dere super illa ; quæ sunt fidei : quia si aliqua sunt dubia , & obscura in fide , ad eum pertinet interpretari , & determinare . Post cujus determinationem hereticum esset contrarium pertinaciter afferere .

22. Et alibi (23) Sine Papa ergo , vel eius auctoritate in Concilio nulla fieri potest electio de his , quæ proponuntur ; ideo dicitur 16. dist. Auctoritas congregandorum universalium Conciliorum penes Apostolicam Sedem residet : quia absque Romani Pontificis auctoritate Concilium nec firmitatem , nec auctoritatem habet . Est similiter alia ratio , quare à Papa ad Concilium appellari non potest ; quia . &c. Et alibi : (24) Solus etenim Papa dicitur esse Vicarius Dei : quia solum , quod ligatur , vel solvit per eum , habetur solatum , & ligatum per ipsum Deum . Sententia igitur Papæ , & sententia Dei una sententia est : sicut una sententia est Papæ , & Auditoris ejus . Cum igitur appellatio semper fiat à minori Judice ad superiorem , sicut nullus est major se ipso : ita nulla appellatio tenet facta à Papa ad Deum : quia unum Consistorium est ipsius Papæ , & ipsius Dei , cuius Consistorij Claviger , & Ostiarius est ipse Papa . Nullus ergo potest appellare à Papa ad Deum ; sicut nullus potest intrare ad Consistorium Dei , nisi mediante Papa , qui est aeterna vita Consistorij Claviger ; & Ostiarius ; & sicut nullus potest appellare ad se ipsum , ita nullus potest appellare à Papa ad Deum : quia una sententia est , & una curia Dei , & Papæ .

23. Et alibi : (25) Respondeo dicendum , quod Articulus Fidei est credere Unam Sanctam Catholicam , & Apostolicam Ecclesiam . Unitas autem istius Ecclesie , & firmitas est ex unitate , & firmitate Capitis . Quicumque autem credit à Papa posse appellari in praesenti vita ad hominem , credit , aliud caput esse in Ecclesia præter Papam , & sic non credit Ecclesie unitatem . Quicumque autem credit , à Papa posse appellari ad Deum ordine judiciario , credit , hujusmodi ordinem judiciarum non esse à Deo institutum inter homines fieri in praesenti vita , & sic peccat contra Apostolicam auctoritatem . Hæc fuit doctrina in Gallia semper edocta , hæc veritas semper credita , tamquam ab Oecumenicis Concilijs , ex Scriptura , & PP. tradita .

24. Hæcque , B. P. constantissima fides nostra . Quod enim

Concil. Arelatense jussu S. Leonis Papæ celebratum , ut constat ex ejus Epistola 110. ad Rabennium Arelatensem Archiepiscopum , in qua hortatur , ut Epistola ejus dogmatica ad Flavinianum missa , universis Fratribus in Gallia constitutis innotescat . Extantque citata verba in Epistola ejusdem Rabenij Arelatensis , & aliorum Episcoporum ad ipsum Leonem , quæ locum suum inter Epistolæ ejusdem Leonis habet , inter 51. & 52. ejus operum .

Concil. Arancian . 2. in Gallia Narbonensi celebratum tempore Felicis P. IV. S. Cesario Arelatensi Archiepiscopo eius Præside . In Praefatione , seu cap. 1. Extat tom. 2. Cōciliar. fol. 1097. in collectione Harduina . Et in Biniana tom. 3. fol. 830.

B. August. Triūph. de Potestate Ecclesiastica , quest. 10. art. 1. in corpore .

Idem ibidem , art. 3. in corpore .

enim Oecumenica Concilia de Decretis dogmaticis Romanorum Pontificum, fassa fuerunt: quod de nostra debita obedientia, ac de eorum infallibilitate senserunt, ac statuerunt, pariter & nos de Constitutione, auctoritateque Vestra sentimus. Hoc tenemus: & ut in trinis nostris confessionibus continetur, omnia sic credimus. In hac fide moriemur. Pro ea propugnanda, si opus est, sanguinem nostrum ad animæ usque deliquum fundere, patrati sumus. De coque cunctos, qui aliter de nobis auctoriter fuerint suspiciati, certos facimus.


25. Solummodo enim nobis superest, ut finem huic Epistolæ ponamus, quod una voce, cordeque, & animo uno, quæ de Adriano II. 8. Synodus expressit, eadem & Nos de S. V. repetamus: (26) *Quia cor Apostolatus tui gratia Sancti Spiritus conspicimus illustratum; repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, ideoque innumeras laudes, & cantica spiritualia Dominino decantantes, Pontificium vestrum Divinae Majestati perpetuò servandum quotidie commendamus; quia Patarum traditionum strenuus executor, & Sedis Apostolicæ privilegiorum diligens conservator, atque Apostolicæ memoriae decessoris vestri constitutarum ferventissimus, ut cernimus, zelator existis.*

26. Hoc B.P. quod S. Synodus de Adriano concinuit, & Nos de S.V. buccinamus. Quod à Deo pro illo flagitavit, pro S. V. sine fine continuò petimus: utque perpetuò incolumem S. V. servet, prout Ecclesia Sancta, hac præsertim misera tempestate, eget: Nosque obsequentiissimi S.V. Filij ardentissimè concupimus.

Tandemque, ut ad metam hujus Epistolæ perveniamus, in præmissorum fidem hoc explicitum, authenticumque testimonium nostri, ac totius Diæcesis nomine, manibus nostris subscriptum, & per præsentem Capituli nostri Secretarium signatum, nostrisque sigillis munitum, alacriter in Aula Capitulari huius nostræ Cathedralis Ecclesiæ damus Murciæ, eadem die 29. Junij anno 1718.

SANCTISSIME PATER

Ad B. V. Sacros Pedes provoluti
Humillimi, & obsequentiissimi filij.





MURCIA

MURCIA

AYUNTAMIENTO

DE MURCIA

ARCHIVO

EST. 9

TAB. 1

N.º 3 (1-10)

2008 Ministerio de Cultura